

*Ut Magistratus publicam pœ-  
nitentiam ante omnia  
indicat.*

C A P V T I I.



*Lib. 1. de  
Insom.*

E D dicat forsan aliquis, Tu quasi in prouidentia viribúsque hominum vniuersa res posita fit, agis, neque diuini auxiliij, vnde omnis victoriæ spes, præsertim in tam anticipati prælio pendet, mentione facis: quum tamen vel Mesuæ testimonio constet, in cunctis quæ à nobis fiunt, esse præponendum Deum, vt securè & confidenter omnia experiri possimus. Respondeo, cum de officio fidelis Magistratus loquor, & Christianus cum Christianis ago, ita illa duo, id est, Dei gratiam, atque hominum operam coniuncta esse volo, vt alter alterius ope minimè destituatur. Rectissime enim piissimèque dixit Hippocrates: Supplicare quidem diis decorum ac valde bonum est, sed oportet ipsum tamen hominem aliquid quoque agere, & deos simul inuocare. Quid ita? Quia homo sine Deo nihil potest, & Deus sine homine non vult omnia facere: benignus quidè est Deus, & homo valde egenus & inops, cum nihil

nihil habeat, quod ex illius manu non acceperit, sed vult rogari Deus, atque hac ratione homines suam inopiam agnoscere: quare ad illius obedientiam, in qua omnis felicitas nostra consistit, impellamur. Si diligenter, inquit Moses & Aaron ad Israelem, audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum in oculis eius est, feceris, & auscultaueris præceptis eius, custodierisque omnia statuta eius, nullum languorem, quem Aegyptiis immisi, tibi immittam, quia ego Dominus te sanans: si autem non audieritis me, (dicit Deus) neque feceritis omnia præcepta ista, & si auersati fueritis statuta mea, & non feceritis cuncta præcepta mea, quin potius fœdus meum irritum reddideritis, ego quoque hoc faciam vobis: visitabo vos terrore, tumore, & febre ardenti, quæ oculos consumant, & animam contabescere faciant. Item aliis pluribus in locis peculiaris mentio fit pestilentiae, quam Deus vel minatur inobedientibus, vel à qua se liberaturum promittit pios: ut nullum dubium sit, quantumuis non omnem pestem peculiarem Dei poenam esse, neque semper immediatè à Deo (quod præcipuè obseruandum est) verùm aliquando (quod antè dictum) vel naturæ cursu, vel hominum culpa & negligentia existere intelligamus: tamè quamcunque habeat originem, semper & ante omnia ad Dei opem esse confugiendum: cuius potenti manui omnem & morbum & sanitatè, vitam & mortem subiecta esse certissimè credimus.

*Exod. 5.**Leuit. 26.**Nume. 14.**Deut. 28.**Ezech. 5.**14.**2. Reg. 2.*

Quare cū cōstet, hanc quoque causam, quā de hīc agimus, vel maximè ad Magistratum pertinere, vt pro viribus populum suum ab imminenti periculo & morborum contagio præseruet, vel à præsentī liberet, principio hoc curæ sit illis, vt ipsi serio timore ad Deum conuersi, subditis subinde vniuersis publicam pœnitentiam, quæ & precibus tum priuatim, tum in solenni conuentu fuis, & eleemosynis, & abstinentia (non cibi solūm & potus, sed & omnis luxus, chorearum, commestationū) ostendi solet, indicant, indictamq; exequantur: exemplo populi Niniuitici, cui cū Dominus per Prophetā minatus esset pœnam propter peccata, Rex ieiunium triduanum, non hominibus modò, sed etiam brutis, præter alia pœnitentiæ opera, iniunxit, vt hac ratione iratum Deum sibi reconciliarent. Cū Dauid transgressus esset præceptum Domini, immissa est populo tam sæua pestis, vt spatio trium dierum septuaginta hominum millia extinguerētur. Qua calamitate motus Dauid, Domino confessus est peccatū suum, & ab illo precibus impetrauit, vt ilicet omnis ea afflictio cessaret. Similiter de Ezechiele Rege legitur, cū ei denuntiata mors esset, seria tamen ad Deum conuersione & amaro fletu viginti annorum spatio vitam prolongasse. Legitur & sub Elia, quando trienniū & ampliùs cælū clausum fuisset, nec pluisset hilū, vnde miserabilis anno-næ caritas secuta est, Helisæi precibus omnem hanc

2 Reg. 2.

2 Chron. 20.

Egesipp. de

excid. Hie-

rosol. cap. 9.

Ezech. 18.

1 Timot. 2.

hanc inopiam repentina copia fuisse compensa-  
 tam. Huc meritò referri potest laudabile factum  
 Illustrissimi Principis D. Philippi Lantgrauij,  
 cuius publicum de hac re scriptum Latine à me  
 translatum, tanquam perfectum fidelis & pru-  
 dentis Magistratus exemplar, quod imitari pos-  
 sint, omnibus hîc proponere volui: sic autem  
 habet: Notum omnibus & singulis subditis no-  
 stris esse volumus, ad nos referri, contagiosum  
 illud pestilentiaë malum in locis ditionibus no-  
 stris vicinis circumquaque vehementer grassa-  
 ri, vt metuendum sit, ad nostrum quoque terri-  
 torium successurum, nostròsq; subditos inuasurum.  
 Quando igitur eiusmodi calamitas haud  
 dubiè pœna est peccatorum, admonitos volu-  
 mus omnes, vt primùm seriò se ad Deum con-  
 uertant, ac veniam culpæ eum precentur: dein-  
 de edendo bibendòq; temperanter se gerant, &  
 fiducia suam in Deo, qui est vnicus & verus me-  
 dicus languoris nostri, collocent. Conuocaui-  
 mus etiam clementi & populis nostris benefa-  
 ciendi animo, medicos nostros, eosque delibe-  
 rare, in medium consulere, remediàq; in vsum  
 tam inopum, quàm opulentiorum præscribere  
 iussimus, quibus post Dei inuocationem se quis-  
 que aduersus lethalè hunc & contagiosum mor-  
 bum tueatur & præseruet, vel si eo affectus fue-  
 rit, quomodo sese gerat & sanetur, sicut ordine  
 perspicuè hoc scripto nostro continetur: ad cu-  
 ius normam pro virili sua vnusquisque se regat;

*Philippi**Lantgra-**uij scriptum**mandatum**etc.*

„ sed vt præcipuè Deo, qui vnicum est præfidium  
 „ nostrum in aduersitatibus, sibi fidendum sciat,  
 „ eique constanter adhærescat &c. Hæc sunt o-  
 ptimi clemētissimique Principis verba: reliqua  
 verò, quæ ad remediorum rationem & genera  
 spectant, huc non transferam. Postremò simili  
 pietatis, & in ciues suos φιλοσοφίας testimonio,  
 Magistratus quoque noster anno 65, cùm pesti-  
 lentia vrbs nostra affligeretur, omnibus Eccle-  
 siæ suæ ministris præcepit, vt populum identidè  
 ad resipiscentiam, ad mutuæ charitatis officia,  
 denique ad sui suorúmque valetudinem secun-  
 dum regulam à me mandato suo præscriptam &  
 publicatam, curandam seriò ac assiduè adhor-  
 tarentur. Agnoscebant enim certissimum, ve-  
 rissimúmque esse, quod Apostolus dixit: Fidelis  
 est Deus, nec vult mortem peccatoris, sed vt cō-  
 uertatur & viuat. Quod manifestè probauit,  
 cùm Filium suum vnigenitum in mortem, & in  
 mortem quidem crucis pro nobis dederit. Item  
 D. Iohannes nos monet, ne peccemus: quòd si  
 autem peccauerimus, aduocatū nos habere ait  
 apud Patrem, qui pro vniuerso mundo interce-  
 dat. Hisce laudatissimis exemplis non solùm ve-  
 ra Magistratus aduersus subditos suos cura, sed  
 etiam peculiaris erga Deum pietas, & Euange-  
 licæ veritatis fructus relucet & demonstren-  
 tur. Quorum imitatione & vestigiis etiam pro  
 se quisque incitari, confirmarique debet, vt Deū  
 sedulò oret, & indubitanter credat, ad se quoq;  
 perti-

1 Cor. 1.